

bris fufpenfum, tandem in parvum foramen terminatur. Hoc foramen ad egerenda intestina deftinatum est, ex adverfo oris fitum, ita ut os in terram verfum fit, excrementi foramen fupra habeatur, Partus enim ex imo petitur, unde fit, ut os ad partum fit verfum, excrementum vero fuperius parte prona testae contineatur. *Excrementa* rotunda sunt exiguarum pillularum instar. Qualis intestinorum talis ovorum ordo est. Nam inter nigrum id, quod carnis vice est, et intestinum ova flava cernuntur, quae sola eduntur cruda.

*Testa* tota intrinsecus foraminibus parvis plena est, per quae movendi facultatem *nervi* aculeis suppeditant: Extrinsecus in exigua tubercula eriguntur aculeorum cotylem excipientia, vinculo, membranula, scilicet, obligata, ut in orbem moveri possint. Talis radii cum brachio articulatio. Aculeorum igitur caput cavum est, et in aculeum illi definunt. His in gyrum movetur.

*Spatagus et Briffus* prout a Rondeletio describitur, vix a cordis figura recedit, aculeis parvis et raris septus. Os dentibus caret, verum maxilla inferior superiore prominentior est, ad hauriendum aquam arenamque accommodata. His enim et luto vescitur. In interiore testa intestinum est convolutum, aqua et arena plenum, neque ova, neque nigrum illud continet, quod carnis loco est. Rari sunt.

*Echinometra*, quam cum Plinio, spinas longissimas calycem minimum habere Gillius putavit, cum Aristotele Rondeletius et Bellonius calycis potius magnitudine alios superare, crediderunt. Ille ejus magnitudinis exhibet, ut ambabus manibus quaque verfum extensis vix capi potuerit. Hic in Insulis mari Aegaei ita profecisse vidit, ut ad duorum pugnorum crassitudinem extuberarent. De caetero, pelagiae sunt, minimis aculeis praeditae, brevibus et obtusis interceptae spiculis, colore ad extrema albicantibus, ad radices liventibus, et ex purpurea nitentibus. Parte prona planae, supina rotundae videntur.

Aldrovandus quatuor exhibet. *Prima* est aculeis non admodum longis, coloris tota ferruginei. *Altera* spinis denudata, extrinsecus scabrosa, coloris ejusdem. *Tertia*, magnis longisque aculeis insignita, coloris tota amethystini. *Quarta*, omnium maxima, quae in Thyrreno et Adriatico mari nascitur, tantae capacitatis, ut quinque aquae libras capiat, in superiore parte gibba et rotunda, inferiore plana. Circumferentia erat duorum dodrantum et palmi. Calyx evidenter in parte anteriore apparebat albus, in quinque ceu ventres, ut in Melopeponibus divisus, quorum singuli tres habebant taenias, quarum media erat tanquam futura, quae partes separat, et facillime aperitur, aperta figuram ferrae refert. Binae illae aliae teniae sunt colore quasi castaneo, crebris foraminibus pertusae, quae tamen nisi expositae aëri; non apparent, quintuplo majores ea futura. Dentes habebat quinos, concavos, figura triangulari, etc.

Est tandem Echinus *Minimus* pelagius, spinis grandibus, longis, et praeduris, modo paene lapidis. Plurimumque un Judeo Italis vocatur, quod perpetuo nigrescat et fordescat. Testam juglande majorem non promit, estque reliquis omnibus vividior. Nam si supinum ponas, mox suas spinas deprimit, et se in pronam partem convertit. Gignitur in alto gurgite. Bellonius ita hoc genus descripsit. Plures habet quam alii proboscides: idcirco citius repit, firmitusque haeret. Ova non fert, sed sanguineum quiddam nigrum saniei simile, quo manus cruentat. Dentes verticilli modo habet quinos, circulari ordine dispositos, quibus algas, saxa, et conchyliorum testas arrodit. In interna ejus parte multos nervos annexos cernas: ex quo indigenae coacervatam dentium congeriem, ita cum nervis exficari sinunt, ut annuli vice ad signandum panem utantur. Refert enim quinquefolium, vel quippiam simile affabre delineatum. Ventrem in quinque partes distinctum habent, quae ab oris verticillo testae appensae, ad foramen excrementi coeunt, sed disjunctae sunt, et